

Hic demonstratus est antiquis sanctis, ut ita ipsi per fidem futurae passionis ejus, sicut nos per fidem praeteritae, salvi fierent. In quantum enim homo, in tantum mediator; in quantum autem Verbum, non medius, quia aequalis Deo, et Deus apud Deum, et simul (cum spiritu sancto) unus Deus. Quo modo nos amasti, pater bone, qui filio tuo unico non pepercisti, sed pro nobis impiis tradidisti eum! (Rom. 8, 32). Quo modo nos amasti, pro quibus ille, non rapinam arbitratus est esse aequalis tibi, factus est subditus usque ad mortem crucis (Phil. 2, 6 ss.), unus ille in mortuis liber, potestatem habens ponendi animam suam, et potestatem habens iterum sumendi eam (Joh. 10, 18); pro nobis tibi victor et victima, et ideo victor, quia victima; pro nobis tibi sacerdos et sacrificium, et ideo sacerdos, quia sacrificium; faciens tibi nos de servis filios, de te nascendo, nobis serviendo! Merito mihi spes valida in illo est, quod sanabis omnes languores meos per eum, qui sedet ad dexteram tuam et te interpellat pro nobis (Rom. 8, 34); alioquin desperarem. Multi enim et magni sunt iidem languores mei, multi sunt et magni, sed amplior est medicina tua. Potuimus putare Verbum tuum remotum esse a conjunctione hominis, et desperare de nobis, nisi caro fieret, et habitaret in nobis. Conterritus peccatis meis et mole miseriae meae agitaveram in corde meditatusque fueram fugam in solitudinem; sed prohibuisti me, et confirmasti me, dicens: Ideo pro omnibus Christus mortuus est, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est (2 Cor. 5, 15). Ecce, Domine, jacto in te curam meam, ut vivam, et considerabo mirabilia de lege tua. Tu scis imperitiam meam et infirmitatem meam; doce me, et sana me. Ille tuus unicus, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi (Col. 2, 3), redemit me sanguine suo. Non calumnientur mihi superbi; quoniam cogito pretium